

D I C T I O

Hermanni Busán, Inclyti Comitatus Zagrabiensis Ordinarii Notarii, nec non Inclytorum Comitatum Varasdinensis, Crisiensis, et Posegani Seditialis Assessoris, occasione novi Vexilli Inclyti Comitatus Zagrabiensis festivæ Benedictionis, die 21. Maji 1832 per Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Emericum Osegovich de Barlabassevecz, Episcopum Dulmensem, Abbatem Sanctæ Helenæ de Podborje, Cathedralis Ecclesiæ Zagrabiensis Canonicum, Archidiaconum Varasdinensem, Excelsæ Tabulæ Septemviralis, et Inclytorum Comitatum Zagrabiensis, Crisiensis, Varasdinensis, et Torontaliensis Tabulæ Judicariæ Assessorem — Zagrabiæ in Parochiali Ecclesia Sancti Marci solenni Ritu peractæ, pronunciata.



Inclyti Domini Status et Ordines!

Solennis Benedictionis Vexillorum actus, inæstimabile horumce Triumphalium Signorum pretium designat. Sunt enim Vexilla Palladium Militiæ, gloriosum Pignus fiduciæ per Statum publicum in Generositate Bellatorum suorum locatæ, Centrum Unionis in decretoriis Momentis, Signa, sub qui-

bus cuius Militi vincendum, vel obeundum est, quorum defensio sanctissimam eorundem Obligationem constituit, quorumve Conservatio cum Honore, et Gloria singuli Corporis Militaris indissolubili vinculo semper juncta manet.

Cum autem omnis Regni Nobilis ex ipsa Constitutionali Institutione natus sit Miles, cum Personalis Insurrectio ex omnibus præcipua sub Vexillo Comitatus ad Campum Martium prodeat, novi Inclyti Comitatus hujus Zagrabien-sis Banderii solenni Ritu peracta Inauguratio, quam Inclyti Domini Status et Ordines tam copioso numero, tamque festivo apparatu intervenientes, Præsentia sua condecorarunt, summum Valorem Banderii hujus clare, ac uberrime determinat, Dignitatem venerandæ hujus Functionis nobis ob oculos ponit, eidemque perennaturum in Fastis Comitatus hujus asserit Locum.

Antiquum Provinciæ hujus Vexillum, — sub quo ab immemoriali æternæ Memoræ Antenati Nostri vitam, et sanguinem Patriæ sacranes adversus Hostem omni occasione imperterritè pugnarunt, quod Tesseram heroici Genii, ac Testimonium intemeratæ erga Augustam Regnantem Domum, fidei et fidelitatis Nationis nostræ constituit, quod tantam, tamque gloriosam virtutis Bellicæ Patrum Nostrorum Recordationem in memoriam nobis revocat, nosque, ut fortitudinem Antenatorum nostrorum æmula virtute prosequamur, animat, — edaci rerum Tempore consumptum, in Sacris Aedibus depositum, ad manus Optimi omnium Bonorum Largitoris, unde cuncta humana promanant, redivit; Nobisque per id, quod Stadio suo emenso, honorificam Destinationem suam compleverit, omnigenæ Consolationis præbet Argumentum.

Dehinc vero Novum Comitatus hujus Banderium in Ecclesia Dei, divina Benedictione roboratum, Palladium isthoc nostrum, — cui per id, quod Primi Magistratualis,

Spectabilis quippe Domini Ordinarii Vice-Comitis Nostri Emerici Lentulay lectissima Conjux sese eidem Patrinam, et Matrem præbere voluerit, tanto majorem accessisse splendorem, grati profitemur, — Nobis in omnibus humanæ Vitæ eventibus, in prosperis, et adversis, qua Stella in Tempestatum Procellis prælucebit. — Ac prout almam Pacem, sub cujus Palmis omnes nationalis Industriæ Rami læte exurgunt, cuive Florem, ad quem peramata Patria Nostra evecta est, in accēptis tribuendum habemus, favente Divino numine, ac obsecundantibus Paternis Suæ Majestatis Sacratissimæ Regis nostri Apostolici Curis, et magnanimis in Conservationem humanitatis directis Conatibus, in finibus nostris perennaturam tuto confidimus, et cordicitus suspiramus — ita si tamen Jani Templum denuo reserrari, si nosmet pro Defensione Principis, Patriæ et Constitutionis nostræ denuo evocari contingeret, vox Regis, et Patriæ nos sub hocce Vexillo, Triumphali utpote Symbolo nostro semper congregatos inveniet, nosque arma sub eodem Banderio alacriter arripientes rediviva præclare gestorum ab Antenatis nostris memoria incitati Orbi ostendere contendemus, quod illorum Croatarum, qui velut totius Monarchiæ Antemurale, tribus et ultra Sæculis, potentissimæ eorum Portæ Ottomanicæ Impetus viriliter sustinuerunt, et Existentiam, Fidem, et Constitutionem suam heroice conservarunt, haud degeneresimus Posteris. —